



**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.  
Ill[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.  
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos  
Cardinales &c. Libri VI**

**Baronius, Justus**

**Mogvntiae, 1605**

Epistola IX. Cæsar Baronivs Soranus S. R. E. Cardinalis Ill[ustrissi]mo  
D[omi]no Ioanni Adamo Archiepiscopo & Electori Moguntino. S. P. D.  
Ill[ustrissi]me & Reu[erendissi]me D[omi]ne.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)



## EPISTOLA IX.

CÆSAR BARONIVS SORANUS  
S.R.E. Cardinalis

ILL<sup>mo</sup> D<sup>no</sup> IOANNI ADAMO  
Archiepiscopo & Electori Mogun-  
tino. S.P.D.

Ill<sup>me</sup> & Reu<sup>me</sup> D<sup>ne</sup>.

QVI Moguntia Romam venit *Iustus Calvinus*, idem modo reuertitur Roma Moguntiam *Iustus Baronius*. Quem enim Ecclesia Catholica accepit in sinum, ego in familiam meam libenter suscepi, eum etiam iure spiritualis cognationis, virtute Sacramenti CONFIRMATIONIS, quod consecutus est à Sanctiss<sup>o</sup> D<sup>o</sup> N<sup>o</sup> CLEMENTE Papa VIII. eundem genui mihi filium, & ut spero, non degenerem leonis catulum, qui iam exeruit unguēs in eos, qui ipsum in cauea impietatis detinuerunt captiuum. Hunc igitur his decoratum à nobis insignibus, iam antea filium tuum, ouemq; pascui tui, rogo iterum atq; iterum vti pater benignus amplectere, & vigilantissimus pastor enutri, vti patronus foue, protectorque defende: suscepturus ego in me cuncta in ipsum collata officia & beneficia, quo nomine R<sup>mæ</sup> D<sup>i</sup> V<sup>æ</sup> deuinctus perpetuo permanebo. Qui & pro Episcopali munificentia erga eius familiam ipso absente

Q abuni=



abunde satis exhibita, plurimas gratias ago.  
Vale. Romæ 15. Calend. Octob. An. Dom.  
M. DCII.

## EPISTOLA X.

ILL<sup>mo</sup> ET REV<sup>mo</sup> D. CÆSARI  
Baronio Sorano S. R. E. Car-  
dinali.

IVSTVS BARONIVS VETERA-  
castrensis S.

SOLICITVM te esse itineris nostri, ILL<sup>me</sup>  
& REV<sup>me</sup> D<sup>ne</sup> tam non dubito, quam  
me esse tibi charissimum. Itaque ne ingrati  
hospitis crimen incurram, id est, <sup>a</sup> quod natu-  
ra Lynces insitum habere dicuntur, ne post  
tergum respicientes meminuerint priorum, &  
mens perdat, quod oculi videre desierint: ex  
proxima etiam *Hetruria* rescribendum tibi  
dixi, vt quanto minori ad te interuallo  
rescriberem, tanto constantiorem tui me-  
moriã habere viderer. Scito igitur regres-  
sos ex vrbe septimo post die *Lauretaniis*  
ambagibus *Perusiam* venisse, vndecimo  
*Senas*. Quo vtroque loco quid mihi, quid  
comitibus meis Germanis, *Bernitio* & *Zol-  
lero* cum Illustrissimis Academicis negotiis  
intercesserit, quid Laureæ à nobis affecta-  
tum feliciterq; reportatum fuerit, malo te i-  
psorummet publicis testimonijs (quæ mit-  
to)

a Hieron.  
Epist. 44  
ad Chryso-  
gon. Monac.  
Aquil.